Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 805
Quelle:
Copyright:

mo fecit de communi vita clericorum siue de Regulari forma in communi exemplo sui ipsius. communis canonicis et fratribus eius heremitis. Est *Sermo II. Aug. de Vita et Morib. Clericor.* T. V. n. CCCLVI. *col.* 1384. qui incipit: *Caritati vestrae hodie de nobis ipsis* &c. *Fol.* 136. *De forma obseruanda in communi et contra vicium proprietatis. Vel de communi vita clericorum Sermo beati Augustini* 30. Init: *Propter quod volui et rogaui* &c. T. *cit.* n. CCCLV. *col.* 1379. *Sermo I. de Vita et Morib. Cleric. Fol.* 138. p. 2. *Sermo sancti Augustini episcopi de vita Monice matris sue ad Christinam virginem Sororem suam germanam.* Merum commentum e S. Doctoris *Confessionibus* sumtum. Sororem ipsi fuisse constat cum e *Vita* a *Possidio* relicta, tum ex *Epistola* n. CCXI. At unde, amabo, Fabulatori nomen *Christinae?* Initium est: *Hortor te dilecta sponsa christi soror mea karissima christina* &c. *Fol.* 141. p. 2. *Sermo sancti Augustini de quatuor virtutibus caritatis.* Initium: *Desiderium caritatis vestre a nobis exigit* &c. Legitur rejectus in *Adpend.* T. V. n. CVI. *col.* 190. *Fol.* 144. *Sermo sancti Augustini de laude caritatis.* Initium: *Tam multos iam laudatores caritas habuisse cognoscitur. ut si quidem ego in laudem eius dicere cepero. presumptio fortasse magis quam deuocio uideatur. Quis enim sanctorum* &c. Non sapit *Augustinum* iste ingressus, nec multa alia per decursum; sunt tamen, quae imitationem prodant. Ita de Martyribus: *Trahebat eos caritas, et ideo nec retrahebat eos cupiditas, nec turbabat aduersitas. Currebant ergo. Mundum post se relinquebant, deum ante se habebant. Sed interposita sunt tormenta, ut interrogarentur, uel quo desiderio hunc quaererent, uel qua constantia hunc* (illum?) *despexissent. Interrogata est ueritas, probata caritas, confusa iniquitas.* &c. Versus finem legas: *Non dicitur: Deus humilitas est, aut: Deus patientia est, sicut dicitur: Deus caritas est* &c. Exit Sermo pulcher et prolixus in ἀποστροφὴν ad Caritatem: *Infundat et diffundat te in cordibus nostris per spiritum sanctum suum redemptor noster unicus et saluator noster Ihesus christus dei filius, ut ipse cum patre ad nos peruenire dignetur, et mansionem in nobis facere, qui cum eodem* &c. Plura dedi, quo facilior sit *Sermonis* hujus cum aliis Exemplis collatio, quem apud nullum e celebrioribus Homiletis reperi. *Fol.* 146. p. 2. *Incipit Epistola Macharij abbatis ad monachos.* De *Macariorum* numero et Scriptis videri possunt *Oudinus* et *Caueus. Gennadius* c. 10. *de Vir. illustr.* ait, unum aliquem illorum Epistolam scripsisse docentem: *Illum perfecte posse Deo servire, qui conditionem creationis suae cognoscens ad omnes semetipsum inclinaverit labores* &c. Jam Epistola nostra incipit: *In primis quidem si ceperit homo se ipsum agnoscere cur creatus sit* &c. Quis hinc non concludat, ipsissimam esse Epistolam, quam *Gennadius* innuit? Ast illam